



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Conatur munus arcere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

pauci, qui grates agerent Deo, quod talis viri æta-
 te vixissent. Archidux Ferdināus cum Rege suo
 parente certabat in præclara de eo existimatione,
 & consiliis amplectendis. Admonitus vt renoua-
 ri pristinum quendam Boëmiæ morem iuberet
 sub meridiem populum admonendi Campanæ
 signo, vt preces faceret pro successu Ecclesiæ, &
 belli contra Turcas; gratias Archidux egit ei, quod
 tam honesta rogando, quid deceret Catholicum
 Principem admonuisset; totaq; Boëmia instaura-
 ti consuetudinem pulcherrimam iussit.

*At Catholicis
pro miraculo*

Quarto tandem Nonas Aprilis Collegij Pra-
 gensis incolæ peruenerunt: cumq; mox per æsta-
 tem Ingolstadium quoq; alij peruenissent, acci-
 pit Canisus à B. Patre literas, quando iam Vien-
 næ, Pragæ, & Ingolstadij condita erant Collegia,
 maturū esse Germaniam declarari Prouinciam.
 Igitur, quod ad Dei laudem magnam cederet, &
 Prouinciam institui, & fidei eius, curæque com-
 mitti: quæ nō condita modò domicilia, sed quæ-
 cunque in Austria, Boëmia, ac tota superiore Ger-
 mania conderentur, amplecteretur. Nihil potuit
 fieri quod magis siue opinionem Canisij falleret,
 siue obedientiam exerceret. Confestim rescripsit,
 se qui-

*Prouincialis
creatur à
B. Ignatio.*

*Conatur mis-
sus arcere.*

se quidem paratum esse quacunq; posset operam
 ciis vniuersis famulari in rerum æque diuinarum
 procuracione, & humanarum. Ceterum per Deum
 obtestatur, nullum ut sibi Prouincialis, siue Rec-
 toris munus imponat; sed planè omnium postu-
 lum, ut re ipsa sit, numeret. Enimvero pericul-
 osum esse, hominem perturbationibus agitatum
 arrogantem, nullo iudicio præditum id officium
 suscipere; fierique aliorum ducem, qui necessarium
 careat lumine, & idonea cum facultatis subsidio
 tum experimenti requirat. Non deesse (& non
 natim appellabat quosdam) qui commodius mihi
 to præfici possent. Denique, inquit, existima-
 Pater, cunctos mihi fratres rogandos, ut suam
 me quisque sententiam scripto explicent, & ad-
 mittant. Nam profecto, si mea cum interiora no-
 ses, tum exteriora vitia, quantumq; hæc Germa-
 nia obtulerit me, ac secularem effecerit, potius
 misereris mei, maioremq; susciperes curam mihi
 subleuandi precibus tuis; quas indignissimus
 cet assidue cupio. Scripsere testimonia socij, seu
 qualia ille merebatur potius, quam volebat, ple-
 na commendationis, & laudis. Itaq; iussus est, De
 bonitate confusus ceruicem iugo summittere.

Nihil

Nihil enim inde negotij plus habiturum, quàm ad hoc tempus habuisset: cum re quidem munere eodem fungeretur, sed accessuram duntaxat ex ipso titulo potestatis opem aliquã, & præcipuum diuinitus auxilium. Fuere tempestate illa Prouincialium munera non tam expedita, ac beata, quã imperitis rerũ cogitatio forsitan sua fingat. Nam etsi ardor vigebat in sociis primæuus, & Principum obsecundabat clementia; tamen, vt in primordiis rerum fieri amat, cum parati nihil esset, non tecta, non templa, non sacra supellex, non familiare instrumentum, atq; hæc omnia, & ipsa vitæ subsidia non ex certis fundis, sed ex Principum voluntaria collatione per multas administratorũ manus prope in diem perciperentur, profecto erant multo maiores molestiarum, atq; patientiæ, quàm annonæ proventus, sociorum numerus perpusillus: negotia, & munera plurima eaq; grauiissima. Plerique etiam in sociis tyrones sub tyrocinio prope nullo, ferme omnes alienigenæ, vt & consolatione, & institutione passim egerent, & diuina quadam Rectoris caritate, atq; prudentia. Ad hæc disciplinæ mores adhuc rudes: legum paucissimæ cognitæ, nec dum expla-

P

natæ

natae usu, nec roboratae. Postremo ignota societate omnibus, exosa Hereticis. Tali statu Prouinciam quam & ipse genuerat, moderandam suscepit Canisius. Quo autem prouexerit, quae deinceps referentur, ostendent.

*Quo animo
prouincialium
acceptionem
cepit.*

*Insignis obedi-
entia.*

Ceterum quo se minus rebatur idoneum, hanc industriam enixius, hoc ad omnem virtutem in perpetuum magis contendit, ut quod factum opus esset prius agendo, quam praecipiendo, intentoque potius digito, quam vocis sono monstraret. Doluit in primis imminutam sibi obediendi materiam; & beatam, quam in obsequij sinu repererat mentis tranquillitatem. Vouerat olim, ut non proditum a nobis est, quod ad suum commodum deque vno in locum alium profectioe attineret, nihil vnquam moturum. Eius sponsonis ita memoriam, ita custodiam retinebat, ut subierit religio, simul ac renuntiatus est Prouincialis, ne contra eam facere aliquo pacto videretur, si quando pro suo munere quopiam accurrendum esset, antequam profectioe iussum ab Vrbe perferretur. Itaque rem omnem aperiendam beato Patri censuit, a quo omni liberatus est scrupulo. Nec tamen ille ad praecipendum euectus, obediendi

vlllo